

propter *Æsopus Xantho dixit, An non recte tibi, Here, dixi, canem tibi magis bene velle quam Heram meam?*

Diebus aliquot præteritis, & Uxore irreconciliatâ manente, & *Xantho* affines quosdam ad ipsam ut reverteretur domum mittente; Illa verò quàm credere nollet, & *Xanthus* plenus mœroris erat. *Æsopus* adiens, ad eum dicebat, *Ne te affligas, cràs enim sponte & citissime etiam faciam venire ad te;* Et acceptâ pecuniâ, in forum ivit, ac emptis anseribus & gallinis, & aliis quibusdam ad convivium idoneis ambulans domos circumibat: Transibat igitur, & ante Domum parentum heræ suæ, ignorans simulans Domum illorum esse, & in eâ Heram manere; Et quùm in quendam ex domo illâ incidisset, rogabat, *An aliquid ad nuptias utile Domestici habuissent vendere:* Illo autem, & cui opus est? Rogitanti & *Æsopo, Xantho Philosopho,* respondente, *cràs enim uxori ducendus est:* Servulus statim per thralia ascendit, & Uxori *Xanthi,* quæ audivisset, renunciavit. *Xanthi* Uxor commota valdè tam turbido Nuntio & proprio pede ad *Xanthum* ivit, & contra ipsum clamavit, dicens inter alia, & hæc petulantioris animi scommata; *Non me vivente, O Xanthe, alteri femella tibi nubere dabitur;* Et sic mansit in Domo, honesto Ingenii figmento, quemadmodum propter *Æsopum* à Domo discesserat.

Post dies rursùs aliquot, *Xanthus* invitavit Discipulos ad prandium; Et *Æsopo* inquebat; *Ito, Eme optimum quodque & quod tibi præstantissimum videtur;* *Æsopus* inter eundem, secum dicebat; *Ego docebo Herum meum, non tam stulta mihi committere mandata;* Quùm linguas igitur suillas solùm emisset, & apparatus discumbentibus linguam affatam singulis cum condimento apposuit.

Discipulis laudantibus, ut Philosophicum, in Incipio, ferculum, propter linguæ ad locutionem ministerium; rursùs in secundo ministerii cursu, elixas iterum *Æsopus* apposuit linguas, atque iterum etiam cursu alio, atque alio pretio, *Æsopus* nihil aliud nisi linguas apposuit: Discipulis autem eodem repetitio cibo indignantibus, & quærentibus, *Quousque linguas? An non & nos per totum prandium, nostras linguas edendo oblatimus? Xanthus* iratus fatur, *Nihil aliud in præsto est, Æsope? Et is, Non certes: Xanthus* dixit, *Nonne, sordidissime Homuncio tibi mandavi, optimum quodque & præstantissimum oblatari? Cui Æsopus, Multas tibi gratias habeo increpanti me coram Philosophos omnes qui hic adsunt; nam quid est linguâ melius aut in tota hominum vita præstantius? Omnis Doctrina, Omnis Philosophia per ipsam articulate monstratur & traditur; per ipsam celebrantur Largitiones omnes, Acceptiones, Fora salutationes, Benedicentiæ, Musa omnis; per ipsam celebrantur Nuptiæ, civitates eriguntur, Homines servantur, & ut breviter dicam, per ipsam tota vita nostra consistit; nihil ergò lingua melius. Ob hæc Æsopum rectè loqui Discipulis pronunciantibus, Xanthum verò errasse, singuli in suas abière domos.*

Postridiè verò, Ipsis *Xanthum* accusantibus, quod in hesternum prandio non tam generosè se hospitibus commendaverat; *Xanthus* respondebat, Non secundum suam voluntatem hæc facta fuisse, sed inutilis tantum servi petulantia, suggestitque Hodiè prandium permutaturum & ipse præsentibus vobis cum eo colloquar: *Æsopo* statim vocato, vilissimum unumquodque & pessimum opsonari jubet, quoniam Discipulos quos in hesternum prandium invitasset, secum hodiè pransuros expectasset; *Æsopus* autem nihil mutatus, rursùs linguas emit, & apparatus discumbentibus apposuit; Hi autem inter se obmurmurabant, *Procinis iterum linguis pascimur? Æsopus* autem rursùs alias, post alias, linguas opposuit, & rursùs, iterum, iterumque, *Xanthus* autem hoc iniquè ferente, & *Æsopo* accersito, quùm inerepasset illum dicens, *Et quid nobis cum Crambe tua tam sæpe cocta? An tibi hodierno mandavi die optimum quodque & quod lautissimum est mercari? An non potius quod est pessimum, & vilissimi pretii & ante omnia nauseandum? Æsopus,* sine ulla deliberantis animi mora, statim respondebat; *Et quid, O Here, est pejus lingua, an non urbes per ipsam corruunt? An non homines per ipsam quotidie interficiuntur? An non maledicta omnia & Mendacia? An non omnia perjuria per ipsam perficiuntur? An non Nuptiæ, Principatus, & Regna*
per